Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1016
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

uerat. et iuxta domum suam posuerat
sepeliuntque eum a civitate Spolitana
miliario plus minus uno sub die
VII ydus decembris. Festivitas tamen
eius ut supra nominatorum martirum in
kal. januarii agitur. II. K. Jan. XIII.
A. Rome natale Silvestri pape et confessoris.
qui post beatum petrum XXXV. sedit an-
nos XXIII. menses X. dies XI. Cuius in-
dustria sinodus preclarissima orbe
terrarum CCCXVIII. patrum apud nicenam
urbem bithinie celebratur sub con-
sulatu constantini augusti et licinii
XIII. kl. iuliarum. iulii pape tamen tempore
consummatur. Et constituit ut nullus
clericus propter causam qualibet in curiam
introiret nec ante iudicem causam diceret
nisi ut ecclesie et altaris sacrificium in syn-
done linthea celebrarent. Fecit autem
ordinationes VI. mense decembrio presbi-
teros XLV. episcopos II. diacones per diver-
sa loca LXV. sepultus est in cimiterio
priscille via salaria. Hic constituit
chrisma ab episcopo confici et ut baptizatum
liniat presbiter. et constituit ut nullus
laicus crimen clerico audeat inferre lena
et dalmaticas in ecclesia ut eorum tegerent
scilicet diaconorum. Senonis sancte Colum-
be virginis sub aureliano imperatore
que superato igne gladio cesa est. Item
beatorum Sabini et potenciani. qui a
beatis apostolis ad predicandum directi
predictam urbem martirii sui confes-
sione illustrem fecerunt. Et
aliorum plurimorum sanctorum martirum confessorum
atque virginum.

Ante omnia fratres dilectissimi diliga-
tur deus deinde et proximus: quia ista
sunt precepta principaliter nobis data.
Operentur a mane usque ad sextam. et a
sexta usque ad nonam vacent lectioni:
et ad nonam reddant codices. Et postquam
refecerint. sive in orto sive ubicumque ne-
cesse fuerit faciant opus usque ad horam
lucinarii. Nemo sibi vendicet aliquid
proprium. sive in vestimento sive in qua-
cumque re. Apostolica enim vita optamus
vivere. Nemo cum murmurio aliquid
faciat. ut non simili iudicio murmura-
torum pereat. Fideliter obediant. et patrem
suum honorent. Post deum preposito suo
deserviant. sicut decet sanctos. Sedentes
ad mensam taceant. audiant lectionem.
Si autem aliquid opus fuerit. prepositus
eorum sit sollicitus. Sabbato et dominica
sicut constitutum est qui volunt vinum acci-
piant. Si opus fuerit ad aliquam neces- mo(bi)
sitatem mitti. duo eant. Nemo extra
monasterium sine precepto manducet
neque bibat. Non enim hoc ad disciplinam pertinet
monasterii. Si opera monasterii mit-
tunt fratres vendere. sollicite observent
ne quid faciant contra preceptum. scientes
quod deum exacerbant in servis ipsius.
Sive aliquid emant ad necessitatem
monasterii. sollicite et fideliter ut servi
dei agant. et ociosum verbum non sit
apud illos. A mane ad opera sua se-
deant. Post orationes tercie eant similiter
ad opera sua. Stantes fabulas non
conterant. nisi forte aliquid sit pro
salute anime. Sedentes ad opera sua ta-
ceant. nisi forte necessitas operis ex-